



POSITIONUM CONTROVERSARUM,
EX JURE FEUDALI,
&
MATERIA DE JURE DO-
MINI IN FEUDO, AC, REVEREN-
TIA IMPRIMIS VASALLI, ET SER-
VITIIS FEUDALIBUS,

depromptarum,

DECADEM

PRÆSIDE

ERICO MAURITIO,

U. J. D. & P. P.

disputandam proponit

DANIEL KOCH,
Memmingensis.

Ad diem 6. May,

horis matutin.

In Auditorio Jctorum.

TUBINGÆ,

Typis JOHAN-HENRICI REISIL

ANNO M DC LXV.

23.

1665/13

32



22

IN REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS

REBUS





I.

IN causâ civili, (si Cujacii, & qui illum sequitur, Gothofredi autoritate aliquis stare velit) non licet Vasallo testimonium dicere contra dominum, perinde ut in criminali. Rectius alii correctionem Cujacii textûs 2. feud. 33. §. *similiter*, non admittunt, & in civili causâ testimonio vasalli locum faciunt contra Dominum, si causa non sit modica. Quam lectionem probat Msstus Codex Antonii Mericutii, & sequuntur cum pluribus adductis Rosenthal, & Bocerus: quibus accedunt Rittershusius, Obrecht, Scultzius, Carpzovius, Struvius, Ludvvell, Schnobelius, Suevus. Si tamen Vasallus ad Judicem vocatus, cum ipse se excusasset antea, ab eo nihilominus cogatur, nullâ excusationis ratione habitâ; aut sub comminatione pœnæ dicere testimonium jubeatur: etiamsi dixerit, non habebit propterea quòd sibi metuat, Autoribus Alvarotto, Matthæo de Afflictis, Zasio, Vultejo, Franciscino Curtio, Struvio; & Ludvvello: quod ita in facti contingentia se aliquoties vidisse observari scribit Borcholt. Quibus merito accedimus, licet id non admittendum esse existimet Rittershusius.

II.

Dominum egenum Vasallus alere, nisi vel culpâ Vasalli ad paupertatem redactus, vel Feudum admodum luculentum sit; vel quis omnia sua bona alteri in

Feudum dederit, ex communi Dd. sententiâ, non tenetur. Unde plures esse, qui id negent Vultejus & Struvius: Regulariter id negandum putare Interpretes Dn. Ludvvellus; communiorem esse, non cogi Vasallum, Gudelinus scribit. Autores plurimos vide apud Rosenthal, qui & ipse huic sententiæ adstipulatur. Et defensores illa habet inter alios Wesenbecium, Zasium, Julium Clarum, Hartmannum Hartmanni, Sonsbecium. Fortassis tamen tempore, quô hæc scribimus, communior, saltim recentiorum ac seculi nostri scriptorum calculo, est Affirmativa, à Bartolo, Jafone, Jacobino à S. Georgio, Schradero, Rittershusio, ac Bocerio jam olim, & nuper à Ludvvello, Struvio, Schnobelio, Gudelino, Finckelthufio, Suevo, Carpzovio probata: quorum plerique ad dimidiam partem fructuum & reddituum annuorum ea subministrari volunt.

III.

Feudum magnâ quâdam accessione augetur, an etiam ad servitia aliquid accedet? Kohlius *de Servitiis Feudalibus* & Dn. Suevus nullâ distinctione augmentum servitiorum admittunt. Finckelthufius, si certa antea & definita sint servitia, augmentum accedere negat, secus, si indeterminata. Nobis præ reliquis aridet Dn. Struvii distinctio.

IV.

Vasallus in ætate pupillari constitutus Jure communi Feudali Longobardico à Servitiis feudalibus per substitutum præstandis ex recentiori sententiâ Kohlii in *Tract. de Servitiis*, Dn. Suevii; & Dn. Struvii; non liberatur; licet in personâ, ut vocant, propriâ servire eodem jure non teneatur: quod & Baldo placuit. Aliter

liter veteres plerique cum Jacobo de Belviso, Alvarotto, Ardizone, Isernia, Laudensi, Præposito, Afflicto, Balzarano, Nicolao Intrigliolo, Barone Schenkio, Rosenthalio & Dn. Ludvvello; E quibus aliqui post glossam monent, consuetudine & moribus ubique ferè receptum esse, ut pupilli ad servitia per substitutum præstanda compellantur; non tamen, ut Schraderi verba habent, sub pœnâ amissionis, sed interesse, cujus loco interdum mulcta vel pœna alia arbitraria succedit: quod post Schenkium & Rosenthalium observavit etiam Dn. Ludvvell.

V.

Interdictum Unde vi Vasallo contra Dominum competere Isernia, Afflictus, Borcholt, Vultejus, Rosenthal, Gothofredus Antonius ajunt, quæ opinio vulgò probata esse Suevo, & ut receptior allegari Finckelthufio dicitur, pro quâ præter textum Juris Feudalis, præjudicium Camerae Imperialis Vultejus, & Responsum Facultatis Juridicæ Francofurtensis Schultzius adduxit. Verior nobis vivetur Hunnii, Dn. Suevi, Carpzovii, Finckelthufii, Struvii & Dn. Ludvvelli sententia, non permittentium, ut Vasallus interdicto hoc contra Dominum experiatur: quod assertum communi opinione probari Mozzius; verius esse Zasius scripsit. Et diversa extare circa quæstionem hanc Camerae præjudicia, adductis Autorum locis monstravit Hunnius.

V I.

An Vasallo in judicium Dominum suum vocandi licentia sit, antequam veniam impetrarit, diversis sententiis inter Feudistas disceptatur, atque ipsi DNN.

Camerales (ut est apud Mynsingerum) modò pro affirmativa, interdum pro negativa pronuntiârunt. Non posse, post Guidonem Papæ, Zasium, Oldendorpium, (quos adducit) existimat Dn. Schnobelius, quod & cum Wesembecio sequitur Dn. Carpzovius in Disput. Feudalibus. Affirmativam nos amplectimur cum Rosenthalio, Schradero, Borcholto, Schneidvino, Obrechtio, Vultejo, Rudingero, Scultzio, Gothofredo Antonio, Struvio, Ludvvello, Suevo. Atque ita se semper vidisse observari Julius Clarus, & opinionem hanc in Camerâ receptiorem esse Mynsingerus & Gailius, in Saxoniam quoque receptam Reygerus, idque nullo discrimine sive Feudalis sive alia caussa sit, Suevus scribunt.

VII.

Vasallus plures habens Dominos, & ab illis Feuda diversa, antiquiori Domino in personâ servitium præstat, recentiorem per substitutum adjuvare debet, si contra extraneos bellum gerant; Quid verò, si invicem? post Schneidvvinum & alios, quos adduxit Andreas Kohlius in Tract. *de Servitiis Feudalibus*, & hoc casu, ut vel per substitutum, vel pecunia oblata posteriori Domino præstò sit, defendit: haud dubiè frustra. Eo enim casu Domino antiquiori contra posteriorem Dominum succurret, nec Feudum idèd amittet, ut rectissimè Schraderus, Rosenthal, Hartman Pistoris, Hunnius, Dn. Carpzovius, Dn. Ludvvellus, Dn. Suevus consentent.

VIII.

An adversus Patrem quoque Domino Vasallus servitium militare præstet, quod legitur 2. Feud. 28. in fin. ambigunt nonnulli. Cujacius delet quod de Patre additur auctoritate Codicum nonnullorum. Hunnius
textum

textum tanquam juri divino, pietati & rationi naturali contrarium reiicit. Carpzovius quoque negativam defendit. Petrus Gudelinus ibi tradi putat, ad quid causâ feudi teneatur aliquis, non quos absolutè aut præcipuè adjuvare debeat: quare pietatis rationem monere, ut sanguine conjunctos quis potius juvet; rationem verò & obligationem feudalem velle, ut Dominum præferat: cui si contra Patrem vel filium quis adesse omittat, parùm aut nihil delinquat; sed tamen cessare tùm causam, ob quam feudo fruatur, utpote propter id servitiũ auxilii præcipuè & plerumque dato: quod ferè sequitur Finckelthusius. Nobis Cujaciana textûs mutatio non artidet, cum Msstus membranaceus Codex noster *Patris* etiam, alio tamen quam hæctenus editi Codices ordine, mentionem faciat. Verba illius hæc sunt: *Contra omnes debet Vasallus Dominum adjuvare: & contra Patrem, filium & Fratrem.* Editi Codices Patrem ultimo loco commemorant: etiam omnium haud dubiè antiquissimus, Bibliothecæ Stipendii Martiniani, quinullam adhuc librorum distinctionem, nullos capitulorũ numeros habet, typis sub ipsa initia repertæ Typographiæ descriptus. Qui tamẽ omittit, perinde ut Msstus, quæ in recentioribus est, copulativam, ac legit: contra fratrem, filium, & Patrem: virgulas quoque quibus verba illa, & *Patrem* includunt recentiores, planè uterque negligit. Hunnii quoque ista paucis Feudistarum se probant, & Gudelini opinio præter Finckelthusium, hæctenus non invenit ad stipulatorem. Nos textui & communi Dd. sententiæ, quam & probant Vultejus, Dn. Rittershusius, Dn. Struvius, Dn. Ludvvellus, Dn. Suevus, Dn. Schnobelius ad stipulamur, quæ contra Patrem etiam Domino adesse

adesse Vasallum vult: tantò magis, quòd non nisi in iusta causâ juvare Dominum, & per substitutum servire, vel dimidium redditum unius anni de feudo solvendo, ac etiam feudum refutando, ab illâ militandi necessitate se liberare possit. Cum quæstione hâc tamen non confundendam alteram, quomodo & quatenus Vasallus Dominum adjuvare contra Patrem debeat, monendum existimamus.

I X.

Vasallus Domino cujus sumptibus servitia præstet, quæritur? Dn. Ludvvellus, si nihil aliud actum sit, distinguit, utrùm Feudum opulentum sit, an non; primo casu Vasallo, secundo Domino hoc onus injungit; Finckelthusius Domino simpliciter: at Vasallo secundum communem Dd. opinionem, teste ipso Finckelthusio, Dd. alii hujus rei necessitatem faciunt: quos & sequitur Zafius, Schenk Baro, Rittershusius, Rudingerus, Carpzovius, Schnobelius. Dn. Suevus communem & receptissimam Dd. Sententiam ait, ut Vasallo, si intra Domini ditionem serviendum sit, suis; si extra eam Domini sumptibus serviendum sit. Nos illos sequimur, qui, si nihil aliud pacto conventum, statutis locorum definitum, aut consuetudine receptum sit, Vasallum suis sumptibus Domino servire volunt; modò tamen feudum sumptibus illis sufficiat, nec nimis tenue sit, ita, ut sumptus ejus proventus excedant, quod rectè Clarus ac Ludvvellus addunt.

X.


Vasallus Dominum ab hostibus captum liberare tenetur, an etiam ob æs alienum in vincula coniectum? Ita putat Dn. Ludvvellus, qui sine distinctione textum 2. Feud. 24. de domino ab hoste capto, & ob æs alienum in vincula coniecto interpretatur.

Nos diversa sentientibus, in quorum numero sunt Dn. Rittershusius, Hunnius, Schraderus, Rosenthal, Sonsbecius, Carpzovius, Suevus, Schnobelius, assentimur.

X 2615924

7V 9A





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

S ARUM,

23.

DALL,

RE DO.
EVEREN-

ET SER-

1665/13

S,

32

M

ITIO,

H,

EISIL

